



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XXXV. Mira Ignatij in regendo prudentia & fiducia diuinæ consensio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

rara sit, potest tamen utcumque suppleri de excellentia præstantis in ea prudentiæ exemplaris. Ad hoc qualem Ignatium finxerit, libri huius residuum narrabit.

XXXV. *Mira Ignatij in regendo prudentia & fiducia diuina consensio.* Atque illa imprimis quæ negotiis præmittebat, diligenter attendere, longum meditari, maturè prospicere, expendere singula, diu consulere; argumenta sunt hominis solius prudentiæ dictata confectantis: rei naturam examine serio introspiciebat, explorabat eorum genium quibuscum tractanda incidisset; temporis opportunitatem, præsidia, offendicula, etiam remota & dubia: adnotabat sub noctem quotidie, quæ essent postridie præstanda; quibus vero eorum demandabat curam, suggererebat iisdem rei promouendæ, magno numero, adiumenta, atque consilia: apud se tamen grauiora quæque diu prius multumque versabat, quàm ad aliorum examen referret. Nec ferre poterat, quos erat solitus Decretalistas vocitare, qui de quacumque re poneretur, pede in vno mox pronuntiarent in vtramque partem. Ipse rerum euenta potius quam initia spectare; in deliberandis, quid boni maliue essent allaturæ; in deliberatis quas? unde? quàm graues, aut superabiles passuræ essent impugnationes, idque tam longinquo prospectu cerne-re, vt ex montis altissimi edito, longe lateque ipse iacentia; alij quamuis exquisitè prudentes, & cauendo docti, ex æquo tantum circumspicere viderentur: quàm ob rem Lainius illum vehementissimè optarat interesse Patribus Tridentinis, vt qua pollebat in cælo, gratiam, & sapientiam consulendi, ad tantæ molis negotia conferret, quanta in Synodo mouebantur, futurumque fuisse incredibili in iis auxilio. Mos illi non fuit quæ multum intererant, vbi essent decreta confestim operi mandare, nisi necessitas, aut occasionis articulus aliud cogeret: sinebat de iis iudicium dies aliquot interquiesceret, dehinc ad examen reducebatur ab ipso deno, haud quidem tam illa quæ deliberarat, quam facta illorum delibe-ratio, de qua vt absque priuati affectus suspicione iudicaret, quasi rem suscipiebat alienam censuræ suæ expositam. Quas autem de ea scribebat Epistolas, non dabat, nisi ter quater ad limam resumptas. Hic vsus consu-lendi, ac ista præcipuè futuri, tam longè perspicax, & veri præfaga præ-sensio, ad ea interdum iisque auxiliis suscipienda inducebat, quæ abhor-rentem à sensu communi præferrent speciem, & minus oculatis cum re-cto pugnare viderentur; verum ex iis quæ consequebantur contra omnem illorum expectationem, palam fiebat, ab eo qui vellet ex sapientiæ præ-scriptis agere, haud aliter consuli debuisse. Iam cum hac agendi tam consulta prouidentique ratione, prodigij instar est tantam sui diffiden-tiam copulasse, animumque sic Deo subiectum, vt cum sua solius indu-stria & diligentia niti videretur, perinde se tamen Deo committeret, vt si nihil ipse penitus cogitando, atque agitando conferre ad negotium vale-ret. Quicquid enim iam fixum animo haberet, non ante in opus edere, quam multis precibus Deo commendasset; communicata cum suis, & de-creta iam re, solitus addere, noctem vltimum consilium daturam, hoc est, esse

esse cum Deo tranſtandam; conſciendi præſidia quamlibet ſecura, & valida non prius adhibere, quam optati à Deo exitus fidem concepiffet. Quare latos ſucceſſus quibus obtinendis, nihil opis humanæ omiſerat velut ab ea penderent toti, habebat tamen, è cælo gratuitos. Cauſis quin etiam momenti ad Dei obſequium maximi mouendis, principem cenſebat primamque prudentiam, ab humanæ prudentiæ timida, incertiæque amuſſi, auertere aciem, & in iis nunquam feliciter quam auris reſlantibus nauigari, qua mentis perſuaſione ingentia opera, nulla humanitus ſpe fretus ſuſcepit, & per aduerſarios, & infeſtiſſimos incurſus in portum deduxit.

Accedebat hiſ ſummum, in animi ſui motus imperium, amorem poſſimum, & iracundiam; quibus quicquid ineſt ſeuerum, & come, ex nutu diſpenſabat meditata ad vnguem rationis, eo verborum, actionumque pondere, ac modo, quem rerum, & temporis, locorum, & hominum momenta poſcebant. Serena, vt erat fronte, & animo cum Patribus colloquens, non raro contigit acciri ab eo aliquem obiurgatione ſeria emendandum, quo comparente totus ab eo qui erat iam alius, vultus grauitate, verborumque aculeis, videri ardere penitus, culpæ quam carpebat deſtatione & odio; recedente mox reo, placidum oris reſumere, & in ea quam ſepoſuerat, intermiſſi ſermonis tranquillitate pergere, detracta ſibi quam ſibi prætenderat, irati ſpecie, tanquam larua, quæ vultus varios, immoto eidemque animo obducebat. Hinc illa etiam verborum moderatio, tam digeſta & decens, vt ne in ſummo quidem reprehentionis acerbiffimæ calore, indignantis extaret vlla vox, ſed ex æquo, & bono ſingula pendentis. Nunquam illi quempiam excidit, quantumuis exlegem; incompoſitum, immodeſtium, obliuiolum compellare, aut quod affine contemptui, & iniuriæ ſonaret: tota erat reprehendendi vis, in deformitate admiſſi erroris, ad viuum oculis obiectanda, exaggerandæque capitibus ex Dei, peccantis, aliorumque offenſa depromptis. Quare nolebat in iis qui præerant, animi motus, iræ poſſimum, extinctos, planèque mortuos, ſed probè domitos: quibus enim in domibus ſola vel naturæ vel arte quaſita dominatur, immota ſemper, & ſuda tranquillitas, illic dubio procul vitia nidulantur, vt iacente in mari Alcyones, ſic Oliuerium Manareum de abdicando Rom. Collegio cogitantem, quod in eo regendo moueretur ſapius indignatione, quam priuatus extinctam putarat; docuit haudquaquam ira omni carendum, ſed eam, & alios eius adminiculo regendos. Eos tamen aut notæ probatæque virtutis; aut reos errati non leuis eſſe oportebat, quos ea quam dixi ſeueritate obiurgandos, cenſeret Ignatius: de cætero enim rectores plurimum admonebat, cauere ab aſperitate qua ſuos ab ſe, aut facerent alieniores, aut iis ſuſpecti fierent. Quafi forent perſonis potius quam earum lapſibus inſenſi: proin aſperitatem, maxime in eos, qui eſſent imbecillæ virtutis, & ſuſpicioſi, minime adhiberent, niſi hanc publici exempli aut neceſſitatis iuberet ratio, ne mali multo

XXXVI.

Animi ſui  
motibus quæ  
perfecte Ig-  
natiſ impere-  
ret.

L I

plus